



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Disputatio III. De actu interno fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

risibilis. Ergo non potest esse major: nam ædificium non potest esse firmius fundamento. R. neg. ant. Nam certitudo actus, quo creditur hæc conclusio, Christus est risibilis, propter necessariam connexionem, quam habet cum revelatione minoris revelatæ credibiliter, fundatur in sola auctoritate primæ veritatis revelantis, & solum supponit evidentem assensum majoris non revelatæ, ut sufficientem applicationem revelationis ad conclusionem, sine qua applicatione voluntas non posset prudenter imperare intellectui, ut assentiatur conclusioni assensu super omnia firmo propter auctoritatem primæ veritatis revelantis.

RESPONSIO V.

Generaliter omnis conclusio legitimè deducta ex una præmissa absolute revelata credibiliter, & ex altera omnino certa, & consequenter evidente evidentiæ vel metaphisicæ, vel physicæ, vel magna morali absoluta, est de fide quoad potentiam credendi, imò & quoad credendi obligationem, saltem post definitionem & præceptum Ecclesiæ.

Sequitur ex dictis hætenus. Et verò omnis ejusmodi conclusio est credibiliter revelata vel formaliter implicite, vel saltem virtualiter, & talem esse certum est respectu omnium certitudine excludente omnem prudentem dubitationem. Ergo, &c. Hinc de fide est, & quoad potentiam, & quoad obligationem credendi, quod Christus habeat corpus verum, & non apparens tantum; quod Christus habeat animam rationalem; quod Christus habeat voluntatem humanam; quod omnia & singula mortalia, quorum memoria habetur post diligentem conscientiam discussionem, sint constituenda in Sacramento Pœnitentiæ; quod Ecclesia Romana sit vera Christi Ecclesia, &c.

Item de fide est saltem quoad potentiam credendi pro unoquoque nostrum, quod sit moriturus; quod sit resurrecturus ante extremum iudicium; quod pro ipso Filius Dei descenderit de cœlis, &c. Dixi, saltem quoad potentiam credendi, quia fortè unicuique nostrum sufficit, si confusè credat se moriturum, resurrecturum, pro ipso Filium Dei descendisse de cœlis, &c. credendo scilicet statutum esse omnibus hominibus mori, mortuos omnes resurrecturos ante diem iudicii, Filium Dei pro nobis descendisse de cœlis, ut dicitur in Symbolo, &c.

Item hoc ipso quod de fide est unum è duobus contradictoriis vel contrariis esse verum, quia scilicet credibiliter revelatum est, ut verum; hoc ipso, inquam, de fide est, quod alterum sit falsum, quia hujus falsitas habet necessariam & evidentem connexionem cum veritate revelationis, qua illud credibiliter revelatum est ut verum, & consequenter hoc fide divina credi potest esse falsum propter eandem revelationem, propter quam illud fide divina creditur esse verum.

Quæres. Quid sit sentiendam de conclusione, quæ legitimè deducitur ex una præmissa revelata credibiliter, & altera non revelata, sed verisimili, aut evidente evidentiæ morali magna respectivè.

R. 1. Si altera præmissa, non revelata, sit evidens evidentiæ morali magna respectivè, conclusio est de fide, saltem quoad potentiam credendi, respectu eorum, pro quibus ad credendum fide divina sufficit evidentiæ morali magna respectivè: nam respectu eorum, revelatio, per quam altera præmissa revelata est credibiliter, sufficienter applicatur conclusioni, sufficienterque conclusio proponitur ut credibiliter revelata vel formaliter implicite, si præmissa revelata, sit propositio universalis; vel saltem virtualiter, si præmissa revelata est propositio particularis.

R. 2. Si altera præmissa non revelata, est solum verisimilis, hoc est, nixa aliquo gravi fundamento, sed non habente evidentiæ moralem magnam relativam, nec respectivè excludentem omnem prudentem dubitationem, tunc conclusio non est de fide, etiam quoad potentiam credendi, quia tunc non potest prudenter credi assensu super omnia firmo propter revelationem præmissæ revelatæ credibiliter, in qua tamen revela-

Simonnet Theol. Tom. II.

tione implicite contineri vel cum ea connexam esse supponimus; non potest, inquam, propter defectum sufficientis applicationis; quia videlicet non constat sufficienter illam contineri formaliter implicite in præmissa revelata, aut cum ejus veritate necessariam habere connexionem. Tunc igitur conclusio est verisimiliter de fide quoad se, hoc est, tunc solum verisimile est quod conclusio participet rationem formalem fidei divinæ. Unde qui verisimiliter negant hanc conclusionem esse de fide, aut esse ullo modo revelatam, non sunt hæretici nequidem materialiter.

DISPUTATIO III.

De Actu interno fidei.

ARTICULUS I.

Utrum actus fidei divina sit certus, & quanta sit ejus certitudo.

NOta. Certitudo formalis, de qua hic agitur, includit duo, infallibilitatem scilicet, & firmitatem actus formaliter asserantis intellectum de veritate objecti. Infallibilitas actus est ejus necessaria conformitas cum objecto; firmitas verò, adhesio ad objectum, excludens omnem actualem dubitationem in eo posita quod actus saltem virtualiter & exercite asserit objectum non posse aliter se habere. Itaque actus certus est actus necessariò conformis objecto, & ita adherens illi, ut excludat omnem actualem dubitationem circa illud. Hinc actus erroneus non est certus, quantumvis firmiter adhareat objecto ut vero, quia non est conformis, & multo minus necessariò conformis est objecto. Hinc etiam actus opinativus, quo quis credit Deum existere, non est certus, licet sit necessariò verus, & tanta necessitate verus, quanta Deus existit, quia non sic adheret objecto suo, ut sit impossibilis eum omni actuali dubitatione.

Nota iterum. Certitudo formalis non consistit in indivisibili, sed admittit magis & minus tum ex parte infallibilitatis, tum ex parte adhesionis ad objectum. Nam 1. infallibilitas actus eo major est, quo sunt plura & infallibiliora principia, ex quibus oritur. 2. Firma ad objectum adhesio alia major est intensivè, alia minor. Item alia major est appetitivè, alia minor. Eò autem firma adhesio ad objectum major est appetitivè, quod veritas judicata pluribus aliis veritatibus etiam certis præfertur, quod fit per assensum appetitivè majorem, virtualiter saltem & exercite judicando alias veritates, quantumvis certas & evidentes, potius negandas, aut in dubium revocandas, supposito quod ex imperio voluntatis negari aut in dubium revocari possent, quam veritatem judicatam, quando cum ea pugnare viderentur.

Nota 3. Cum inter veritates aliæ sint per se notæ & evidentes, aliæ verò non, & eatenus obscuræ, quæ intellectui proponuntur tantum per motiva moraliter evidentiæ, firma ad objectum adhesio duplex est, una necessaria, & altera libera. Necessaria oritur ex evidentiæ objecti per se noti, debite apprehensæ, & excludit non solum omnem dubitationem actualem, sed etiam omnem potentiam dubitandi. Libera oritur saltem ex parte à libero nutu voluntatis, prudenter applicantis & determinantis intellectum ad assentiendum objecto ut vero: ita ut per actum suum virtualiter saltem & exercite judicet illud non posse aliter se habere; quæ adhesio, cum sit libera, sic excludit omnem dubitationem actualem, ut relinquat potentiam dubitandi antecedentem, quia relinquit in voluntate potentiam antecedentem non applicandi & determinandi intellectum ad actum impossibilem cum omni dubitatione actuali.

Dixi autem, voluntatis prudenter applicantis, &c. Nam si voluntas imprudenter applicat & determinat

L 3 intel-

Intellectum ad firmum objecti assensum; quod fiet, si ex levi fundamento applicet & determinet; tunc non erit certitudo, sed pertinacia, ut accidit in haeticis, firmiter assentientibus articulis falsis, vel etiam veris, sed absque sufficienti propositione.

RESPONSIO I.

Actus fidei divinae infallibilior est quovis assensu naturali, quantumvis evidenti, qui non versatur circa perfectionem aliquam Dei necessariam.

Prob. Nam actus fidei divinae tanta necessitate verus est, quanta necessitate ex hypothesei revelationis objectum revelatum tale est, quale revelatur à Deo. Atqui summa necessitate ex hypothesei revelationis objectum revelatum tale est, quale revelatur à Deo: nam summè implicat Deum revelantem falli aut fallere, Ergo actus fidei divinae summa necessitate verus est, quanta necessitate verus est nullus assensus naturalis, quantumvis evidens, qui non habet pro objecto perfectionem aliquam Dei necessariam. Nam v.g. licet absolute & simpliciter repugnet me non vivere, ex hypothesei quod experiar me vivere, tamen minùs repugnat, quàm repugnet Deum revelantem falli aut fallere; & potius fieri posset me non vivere, etiam ex hypothesei quod experiar me vivere, quam Deum revelantem falli aut fallere. Igitur licet absolute & simpliciter repugnet me non vivere ex hypothesei, quòd experiar me vivere, hæc tamen repugnantia non est summa, nec tanta, quanta est ad hoc ut Deus revelans fallat vel fallatur, & consequenter quanta est ad hoc ut objectum revelatum ex hypothesei revelationis, non sit tale, quale revelatur à Deo.

Quod si actus fidei divinae infallibilior est actu, quo experior me vivere, est à fortiori infallibilior actibus experimentalibus, & evidentibus, quibus experimur solem existere & lucere, ignem existere & ardere, aquam existere & frigidam esse, &c. Nam ii actus non sunt absolute infallibiles: absolute enim possent esse, non existente sole, aut igne, aut aqua, &c. Unde non habent nisi infallibilitatem physicam, quæ non est major evidentia magna morali absoluta, quæ est de rebus, quæ nunquam aliter contingunt, quamvis absolute possent aliter contingere.

Ex dictis facile etiam intelligitur actum fidei divinae infallibiliorem esse omni assensu naturali scientifico de rebus creatis, imò omni assensu naturali primorum principiorum, & objectorum per se notorum, quales sunt actus quibus judicamus totum esse majus sua parte, duo & duo esse quatuor, &c. Cum enim nullum objectum creatum, nulla veritas creata habeat summam necessitatem, nullus assensus naturalis circa veritatem creatam, quantumvis supponatur esse evidens, habere potest summam infallibilitatem, & qualem habet actus fidei divinae.

Dixi autem in resp. Qui non versatur circa perfectionem aliquam Dei necessariam: nam v.g. assensus naturalis sive scientificus, sive etiam opinativus tantum, quo judicamus Deum existere, sapientem esse, omnipotentem esse, &c. habet summam infallibilitatem: tanta enim necessitate verus est, quanta necessitate Deus existit, & sapiens, & omnipotens est. Summa autem necessitate Deus existit, sapiens est, omnipotens est, &c. Ergo assensus naturalis, etiam opinativus, quo quis judicat Deum existere, sapientem esse, omnipotentem esse, &c. habet summam infallibilitatem, & consequenter tantam, quantum habet omnis actus fidei divinae.

RESPONSIO II.

Actus fidei divinae ex merito objecti appetitativè saltem firmior est omni assensu naturali, quantumvis evidenti.

Prob. Nam actus fidei divinae est ille quo intellectus assentitur veritati revelatae propter revelationem divinam ex imperio voluntatis prudenter ipsum applicantis & determinantis ad assentiendum modo appetitativè saltem proportionato infallibilitati reve-

lationis divinae. Atqui talis assensus ex merito objecti est saltem appetitativè firmior quovis assensu naturali, quantumvis evidenti: nam infallibilitas revelationis divinae summa est, & longè superat infallibilitatem cuiuscumque evidentiae naturalis, quantumvis magnæ. Ergo, &c.

Confirm. Quia actus fidei divinae ex merito objecti est in ratione adhesionis ad objectum summus appetitativè saltem: cum enim infallibilitas, & consequenter auctoritas revelationis divinae sit summa, exigat adhesionem ad objectum saltem appetitativè summam. Atqui nullus assensus naturalis, quantumvis evidens, est appetitativè summus in ratione adhesionis ad objectum ex merito objecti: nam si quis esset, certè in tantum esset, in quantum per illum saltem virtualiter & exercitè affirmaretur ex merito objecti omnes alias veritates potius negandas, vel in dubium revocandas esse, quàm veritatem per illum judicatam, sive, quod eodem redit, præ illius evidentia omnem aliam evidentiam, & omne aliud motivum in oppositum contemnendum esse. Atqui ejusmodi nullus est: nullum enim motivum naturale tale est, nullaque talis & tanta evidentia naturalis, ut intellectus prudenter & rationabiliter affirmare possit, sive formaliter, sive virtualiter, aliud motivum quodcumque, aliameve quancumque evidentiam in oppositum contemni posse: quia nullum motivum naturale tale est, nullaque talis & tanta evidentia naturalis, ut habeat summam infallibilitatem & auctoritatem in ratione movendi: hæc enim est prerogativa solius primæ veritatis revelantis. Ergo, &c.

Dixi autem, ex merito objecti: quia nihil verat, quin assensus merè naturalis, sive evidens, sive etiam inevidens, sit appetitativè summus, & consequenter tam firmus, quàm assensus fidei divinae; sed talis non erit, nisi præter meritum objecti. Sic actus quo haeticus errori suo adhæret, potest esse summus appetitativè ex imprudenti voluntatis imperio ultra omne objecti meritum. Sic ethicus v.g. potest veritati demonstratae adhære assensu appetitativè summo, sed irrationabiliter, & sine merito objecti. Nullus tamen ex his actibus potest dici habere certitudinem appetitativè summam, quia sicut ad veram certitudinem requiritur actus firmitas rationalis, & fundata in merito objecti, ita ad veram certitudinem appetitativè summam requiritur summa firmitas appetitatio rationalis, nec meritum objecti excedens. Unde solus actus fidei divinae potest habere certitudinem appetitativè summam, quia solus potest rationabiliter & ex merito objecti habere firmitatem appetitativè summam, propter summam infallibilitatem & auctoritatem primæ veritatis revelantis.

RESPONSIO III.

Actus fidei divinae est absolute & simpliciter certior omni omnino assensu naturali, sive obliquo, sive etiam evidenti, quantacumque supponatur esse hæc evidentia.

Prob. auctoritate SS. Patrum. Pro omnibus sit S. Augustinus, lib. 7. Confess. cap. 10. *Audivi*, inquit, *sicut auditur in corde*, & non erat unde dubitarem, *faciliusque dubitarem me vivere, quàm non esse veritatem, quæ per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*, hoc est, quæ summam evidentiam credibilitatis, vel potius simplicem evidentiam habet ex signis mirabilibus, quæ in ejus confirmationem facta sunt, sic ut per ea quasi oculis percipiatur: loquitur enim S. Doctor de evidentia credibilitatis, aut potius de evidentia simplici, quam habent mysteria nostræ fidei, non de evidentia naturali, qua cognoscimus ex creaturis existentiam & alias perfectiones Dei, quæ evidentia procul dubio minor est ea, qua uniuscuique experitur se vivere. Unde si de illa loqueretur S. Augustinus, non diceret: *Facilius dubitarem me vivere*. Ergo secundum Augustinum, fides divina superat certitudine omnes assensus naturales, sive scientificos, sive experimentales, etiam maximè evidentes.

Ratio est, quia fides divina ob eminentiam sui motivi

tivi habet summam infallibilitatem, & firmitatem adhesionis ad objectum appetitativè summam ex merito objecti, quorum neutrum habet, aut saltem utrumque non habet ullus assensus naturalis; quia quamvis inter assensus naturales multi sint absolute & simpliciter, & aliqui summe infallibiles, nullum tamen in statu præsens vite motivum est, quod habeat summam infallibilitatem; præter revelationem primæ veritatis. Unde in statu præsens vite, præter revelationem primæ veritatis, nullum est aliud motivum, quod fundare possit firmitatem adhesionis summam appetitativè, proindeque præter fidem divinam non est alius actus, qui habeat firmitatem adhesionis appetitativè summam ex merito objecti.

Obj. 1. Per actum fidei divinæ non sum certior de veritate revelata, quam de existentia revelationis. Atqui per actum fidei divinæ non sum certior de existentia revelationis, quam certus sum me existere per actum quo experior me existere. Ergo per actum fidei divinæ non sum certior de veritate revelata, quam certus sum me existere per actum, quo experior me existere, & consequenter actus fidei divinæ non est certior actu naturali, quo experior me existere. *Prob. min.* Quia non mihi minor, imò major est ratio dubitandi de existentia motivorum, quibus suadetur existentia revelationis, quam de existentia mea: neque minorem, imò majorem habeo evidentiam circa existentiam meam, quam circa motiva, quibus Deum revelasse ostenditur. Ergo, &c.

R. 1. Majorem veram esse cum enim per actum fidei divinæ non adhaream firmiter veritati revelatæ, nisi quia firmiter adhareo existentie revelationis per eundem actum, necesse est ut per actum fidei eadem omnino, & non majori vel minori firmitate adhaream veritati revelatæ, & existentie revelationis: & consequenter per actum fidei, quo adhareo veritati revelatæ propter revelationem, & revelationi propter ipsam, non possum esse magis securus de veritate revelata, quam de existentia ipsius revelationis.

R. 2. neg. minorem. Nam per actum fidei divinæ habeo certitudinem summam de existentia revelationis, qualem sanè certitudinem non habeo de existentia mea per actum quo experior me existere. Per actum autem fidei divinæ habeo summam certitudinem de existentia revelationis, quia per hunc actum revelationi propter ipsam ut virtualiter in se reflexam adhareo firmiter firmitate appetitativè summa ex merito objecti: cum enim Deus revelando veritatem aliquam, virtualiter revelet se revelare, revelatio divina, supposita sufficienti evidentiā credibilitatis, digna est propter summam suam infallibilitatem, in ipsam virtualiter reflexam, assensu appetitativè summo.

Ad prob. min. R. dist. Non est mihi minor ratio dubitandi de existentia revelationis, sumpta relatè ad motiva credibilitatis, quibus evidenter ostenditur etiam evidentiā magna morali absoluta, quam de propria existentia. C. Non est mihi minor ratio dubitandi de existentia revelationis, sumpta relatè ad summam ejus infallibilitatem in ipsam virtualiter reflexam, N. Unde possum certior esse de existentia revelationis per actum quo judico existentiam revelationis propter summam ejus infallibilitatem in ipsam virtualiter reflexam, quam certus sum me existere per actum quo experior me existere: licet non possim certior esse de existentia revelationis per actum quo illam judico propter evidentiam etiam magnam moralem absolutam, quam habet à motivis credibilitatis. At primus actus, non secundus, est actus fidei divinæ.

Obj. 2. Actus, quo evidenter judico solem existere, excludit omnes dubitationes etiam involuntarias. Ergo certior est actu fidei divinæ: nam actus fidei divinæ non excludit dubitationes involuntarias. *R. neg. conseq.* & probationem ejus; & dico, actum fidei divinæ excludere omnes dubitationes non solum voluntarias, sed etiam involuntarias. Quod sic ostendo. Actus scientificus excludit dubitationes involuntarias. Ergo & actus fidei divinæ. *Prob. conseq. A.*

Simonet Theol. Tom. II.

Actus scientificus excludit dubitationes involuntarias, quia saltem virtualiter affirmat objectum non posse aliter se habere; unde non potest stare cura hoc judicio formidoloso: Fortè res aliter se habet. Atqui pariter fides divina saltem virtualiter affirmat veritatem revelatam non posse aliter se habere. Ergo fides divina tam excludit dubitationes involuntarias, quam actus scientificus. *Prob. min.* Nam si naturalis evidentiā demonstrationis sufficit ad hoc ut intellectus affirmet objectum demonstratum non posse aliter se habere, à fortiori summa infallibilitas revelationis, supposita sufficienti evidentiā credibilitatis, sufficit ad hoc ut intellectus ex imperio voluntatis affirmet veritatem revelatam aliter se habere non posse.

Itaque quando fideles videntur experiri dubitationes involuntarias in ipso actuali exercitio fidei, hoc non fit, quia re ipsa dubitationes involuntariæ coexistunt actibus fidei, sed quia actibus fidei ita permiscuntur, & sine mora perceptibili succedunt, ut videantur illis coexistere. Vel dicendum est, quod tunc actibus fidei coexistant, non actus judicativi, sive actus, quibus, licet involuntariè, judicet intellectus fortasse rem aliter se habere, in quibus judiciis consistunt dubitationes involuntariæ; sed actus merè apprehensivi, sive actus quibus intellectus merè percipit species judiciorum formidolosorum in phantasia excitatas, vel à demonæ, vel ab alia quacunque causa naturali.

Dices. Saltem actus, quo evidenter judico solem existere, magis removet omnem dubitationem involuntariam, quam actus fidei divinæ: ergo certior est. *Probabis ant.* Nam nunquam experior ullam dubitationem involuntariam circa existentiam solis? cum tamen nullus ferè ut fidelis, qui identidem non patiatur aliquas dubitationes involuntarias circa veritatem rerum revelatarum, aut revelationum existentiam.

R. neg. ant. Imò fides divina magis removet omnem dubitationem involuntariam, quam actus, quo evidenter judico solem existere: cum enim sit appetitativè firmior, & ita firmitus affirmet rem non posse aliter se habere, minus compari potest dubitationem etiam involuntariam.

Ad prob. ant. R. me nunquam experiri dubitationes involuntarias circa existentiam solis, quia evidentiā illa magna, qua evidenter cognosco solem existere, est maxime proportionata intellectui meo, eique faciliè ac toties occurrit, quoties cogito de sole, & occurrendo rapit ac determinat ad evidens judicium de existentia solis. Unde nunquam experior dubitationes involuntarias circa existentiam solis; non quia actus, quo evidenter judico solem existere, magis removet omnem dubitationem involuntariam, sed quia quoties cogito de sole, habeo actum illum, aut æquivalentem.

E contra philosophus, qui evidenter & demonstrativè per creaturas scit Deum existere, & providere universo, identidem patitur dubitationes involuntarias circa existentiam Dei & ejus providentiam; quia evidentiā illa, quamvis magna, qua, cum præsens est, evidenter judicat Deum existere, & providere universo, non est improporcionata intellectui; unde non ita faciliè, nec toties occurrit intellectui, quoties Philosophus cogitat de existentia Dei, & ejus providentiā, sicque Philosophus non toties habet actum, quo evidenter judicat Deum existere & universo providere, quoties cogitat de existentia & providentiā divinā.

Similiter fidelis identidem patitur dubitationes involuntarias circa veritates revelatas, & revelationes divinas, non quia actus fidei divinæ minus removet dubitationes involuntarias, sed quia cum actu cogitat fidelis de veritatibus revelatis aut revelationibus divinis, non semper habet actum fidei, aut evidentiam aliquam cum dubitationibus involuntariis impossibilem.

Dices iterum. Ille actus est firmior, à quo intellectus minus potest dimoveri, ut assentiatur opposito. Atqui intellectus minus potest dimoveri ab actu, quo

evidenter cognoscit solem existere, ut opposito assentiatur, quàm ab actu, quo credit veritatem aliquam propter revelationem divinam, ut docet experientia. Ergo, &c. *R. neg. maj.* Nam ex eo quòd intellectus minus possit dimoveri ab actu aliquo, ut assentiatur opposito, sequitur tantum, quòd actus ille sit magis necessarius, quòd sit minus in potestate cognoscentis, ut habeat vel non habeat illum; quòd sit clarior, quòd habeat objectum evidens ea evidentiā, quā faciliè occurrit intellectui.

Probabis tamen maiorem negatam. Actus, à quo intellectus minus dimoveri potest, ut assentiatur opposito, magis removet à dissensu objecti. Ergo firmior est. *R. neg. ant.* Nam non hoc ipso magis removet à dissensu objecti, sed solum magis necessario removet, vel, si vis, solum facit, ut minus sit in potestate cognoscentis dissentire objecto, & assentiri opposito. Quo non obstante, actus fidei divinæ simpliciter removet magis dissensu objecti, quàm actus, quo evidenter cognoscitur solem existere; cum simpliciter removeat magis dubitationes, etiam involuntarias, ut ostensum est.

Præterea, quòd fides divina simpliciter removeat magis à dissensu objecti, quàm actus quo evidenter cognoscitur solem existere, manifestum est ex eo, quòd actus, quo evidenter cognoscitur solem existere, non sit talis, ut evidentiā qualibet apparens in oppositum, omnem vim movendi intellectum in eius concursu amissura, & vi ejus contemnenda sit. At evidentiā apparens, etiam quoad speciem tantā, quantā est evidentiā hujus veritatis. Sol existit, pugnans cum testimonio divino, amitteret omnem vim movendi intellectum in concursu fidei divinæ, & vi illius contemneretur. Quod etiam verum est de evidentiā vera, si per impossibile pugnaret cum revelatione divina sufficienter proposita. Dico, si per impossibile; quia fieri non potest ut evidentiā vera pugnet cum revelatione divina: cum enim Deus non possit revelare falsum, non potest revelare oppositum veræ evidentiæ.

Ratio autem disparitatis pro fide divina, & actu quo evidenter cognoscitur solem existere, est, quia hic actus nequidem virtualiter & exercitè affirmat omnem aliam evidentiā repugnantem, contemnendam esse præ evidentiā qua constat solem existere; & si affirmaret, præter meritum objecti affirmaret: neque enim evidentiā, qua constat solem existere, talis est, ut præ illa omnis aliā evidentiā merito contemni possit. At actus fidei divinæ saltem virtualiter & exercitè affirmat præ testimonio divino, propter quod veritatem revelat assentitur, contemnendum esse aliud quodcumque motivum in oppositum, omnemque evidentiā repugnantem, quantacumque appareat, esse contemnendam, in qua virtuali & exercitè affirmatione consistit summa appetitio fidei divinæ, sufficienter fundata in summa infallibilitate & auctoritate testimonii divini.

Dices 3. Actus, quo evidenter cognoscitur solem existere, summè removet à dissensu objecti. Ergo tam removet à dissensu objecti, quàm actus fidei divinæ. *Neg. ant. Probabis.* Simpliciter & necessario removet intellectum à dissensu objecti. Ergo summè removet. *R. neg. conseq.* Nam inter assensus naturales simpliciter & necessario removeantes intellectum à dissensu objecti, alii magis, alii minus removeant, pro majori vel minori evidentiā objecti. Item assensus supernaturalis evidens magis removet intellectum à dissensu objecti, quàm assensus naturalis evidens, quia assensus supernaturalis evidens, firmior est assensu naturali evidenti.

Denique aliud est simpliciter & necessario remove re intellectum à dissensu objecti, & aliud summè remove re; sicut aliud est amare necessariò, & aliud summè amare. Sicut ergo iustus amore proprio ordinato amat se ipsum necessariò, nec tamen se ipsum amat summè; ita intellectus per actum, quo evidenter cognoscit solem existere, simpliciter & necessario removetur à dissensu objecti, nec tamen summè removetur, quia per actum evidentem & necessarium removetur,

sed non per actum summè appetitivum: cum è contra summè removeatur per actum fidei divinæ, quāvis non necessariò, quia removetur per actum objecti summè appetitivum, quāvis non necessariò & evidentem, sed obcurum & liberum.

Dices 4. Actus, quo evidenter cognoscitur solem existere, excludit non solum formidinem actualem, sed etiam potentiam antecedentem formidandi. Ergo firmior est, quàm actus fidei divinæ quæ excludit solum formidinem actualem. *R. neg. conf.* Nam quāvis fides divina non excludat potentiam antecedentem formidandi, quia est actus obscurus & liber, nihilominus longè magis excludit formidinem actualem, quàm actus quo evidenter cognoscitur solem existere, quia longè major est appetitivè; unde simpliciter longè firmior est: major enim firmitas attenditur potius secundum maiorem exclusionem formidinis actualis, quàm secundum exclusionem potentie formidandi.

Dices 5. Intellectus non potest dubitare de veritate actus, quo evidenter judicatur solem existere, & potest dubitare de veritate actus fidei, quo credit rem revelatam. Ergo, &c. *R. neg. 2. partem ant.* Cum enim intellectus per actum fidei virtualiter & exercitè affirmer rem creditam non posse aliter se habere, virtualiter quoque & exercitè affirmat ipsummet actum esse absolute & infallibilem. Unde intellectus de actu fidei, quandiu perseverat, non potest magis formidare ne sit falsus, quam formidare potest, ne res credita aliter se habeat, quàm creditur.

Obj. 3. Non potest intellectus per actum fidei firmius ex merito objecti assentiri veritati revelatæ propter revelationem divinam, quàm ipsi revelationi assentiatur propter motiva credibilitatis saltem collectivè sumpta. Sed actus, quo intellectus assentitur revelationi propter motiva credibilitatis etiam collectivè sumpta, non est firmior quovis assensu naturaliter evidenti: nam evidentiā motivorum credibilitatis etiam collectivè sumptorum non superat quāvis aliam evidentiā naturalem. Ergo, &c.

R. neg. maj. Nam intellectus assentiens alicui mysterio propter revelationem divinam, potest & debet illi assentiri modò appetitivè proportionato infallibilitati revelationis divinæ, & consequenter potest & debet illi assentiri propter revelationem divinam cum longè majori firmitate, quàm cum assentitur ipsi revelationi divinæ propter motiva credibilitatis, etiam collectivè sumpta; quia infallibilitas revelationis divinæ, cum sit summa, longè superat infallibilitatem evidentiæ motivorum credibilitatis, etiam collectivè sumptorum, quæ evidentiā, ut rectè dicitur in objectione, non est major quavis evidentiā naturali, nec proinde infallibilior.

ARTICULUS II.

Utrum actus fidei divinæ pertineat ad intellectum.

RESPONSIO.

Actus fidei divinæ pertinet ad intellectum, & non ad voluntatem.

Prob. 1. ex Apostolo. Nam 1. Cor. c. 13. dicit: *Videmus nunc per speculum & in enigmate.* Et Hebr. c. 10. *Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei.* At videre & intelligere, intellectus est, non voluntatis. 2. Ex S. Augustino, lib. de præd. Sanct. c. 2. ubi sic fidem divinam describit: *Credere nihil aliud est, quàm cum assensione cogitare.* At intellectus cogitat, non voluntas. 3. Ratione, quia fides divina est actus, quo credens assentitur veritati revelatæ propter auctoritatem primæ veritatis revelantis. At assentiri & dissentire sunt actus intellectus, sicut amare & odisse sunt actus voluntatis. Ergo, &c.

Obj. In Scriptura fides divina tribuitur voluntati. Nam Rom. cap. 10. dicitur: *Corde creditur ad iustitiam.* Item in Scriptura fides divina opponitur diffidentie, quæ est actus voluntatis. Nam dicitur Rom. cap. 4.

cap. 4. *Non hesitavit dissidentia, sed confortatus est fide.* Item fides divina adhæret veritati revelatæ. Sed voluntatis est adhærere.

R. ad 1. neg. *Ad prob. R.* ibi cor non significare voluntatem, sed intellectum. *Nota.* In Scriptura cor quandoque sumitur pro intellectu, ut Marth. cap. 9, ubi Christus dicit: *Quid cogitatis mala in cordibus vestris.* Et Psal. 52. ubi sic ait Saltes: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.* Quandoque pro voluntate, ut Marth. cap. 22. ubi Christus ait: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Præterea, etiam si, cum dicitur Rom. cap. 10. *Corde creditur ad justitiam;* to cor sumeretur pro voluntate, nihil tamen inde contra nos efficeretur: tunc enim to corde sumeretur casualiter, non formaliter; & sensus esset: Voluntariè creditur ad justitiam, hoc est, ex libero & pio voluntatis affectu intellectu creditur, & idcirco fides imputatur ad justitiam. R. ad 2. etiam neg. *Ad prob. dico,* dissidentiam ibi sumi, non proprie, & prout opponitur fiducie; sed pro incredulitate. R. ad 3. fidem divinam adhærere veritati revelatæ assentiendo, & judicando; voluntatem verò adhærere objecto suo, illud amando.

Hic obiter observamus, actum fidei divinæ habere triplicem respectum ad Deum, videlicet ut objectum materiale, quod creditur; ut objectum formale, propter quod creditur; & finem ultimum, qui propter se diligitur, & in quem ipsa fides & cætera omnia referuntur. Hinc dicimur credere Deo, credere Deum, & credere in Deum. Credimus Deum, credendo ipsum existere; credimus Deo, credendo quia locutus est; credimus in Deum, credendo ipsum & propter ipsum, omniaque in ipsum per dilectionem referendo.

Doctrinam hanc tradit S. Augustinus serm. 181. de verbis Domini: *Aliud est credere in illum, aliud credere illi, aliud credere illum. Credere illi, est credere vera esse quæ loquitur. Credere illum, est credere quia ipse est Deus. Credere in illum, est diligere illum.* Quod tertium alibi inculcat, ut tract. 29. in Joan. *Quid est, inquit, credere in eum? Credendo amare.* Et serm. 6. de verbis Domini: *Ille, inquit, credit in Christum, qui & sperat in Christum, & diligit Christum. Nam si fidem habet sine dilectione, Christum esse credit, non in Christum credit.*

Dices. Supposita hac S. Augustini doctrina, fides non est in peccatoribus. R. non esse quoad tertium respectum, sed esse quoad primum & secundum. Dices, adhuc. Saltem non possunt peccatores absque mendacio recitare Symbolum fidei, & dicere: *Credo in Deum Patrem, &c.* Respondere potest cum S. Thoma hic q. 1. a. 9. ad 3. peccatores non dicere falsum, recitando Symbolum fidei, quia recitant ex persona totius Ecclesiæ. Itaque juxta hanc responsionem, sicut Sacerdos, dum consecrat, non ex propria, sed ex Christi persona dicit: *Hoc est corpus meum:* unde verum dicit, quamvis non proprium, sed alterius. Corpus intelligat; ita quilibet Christianus non ex propria, sed ex Ecclesiæ persona loquitur, & fidem proficitur, cum dicit: *Credo in Deum Patrem, &c.* Unde non dicit falsum, quamvis non diligit Deum; quia ad veritatem dicti satis est, si Ecclesiæ Deum diligit; & ut Ecclesiæ censeatur Deum diligere, necesse non est, ut quilibet Christianus in particulari diligit Deum, sed sufficit, si boni, qui in Ecclesiæ sunt (fieri autem non potest, ut non sint, etiam plurimi, Deo id infallibiliter providente) diligant.

ARTICULUS III.

Utrum aliqui alii, & quinam actus, ad actum fidei divinæ prærequirantur.

RESPONSIO I.

AD actum fidei divinæ prærequiritur actus voluntatis, quo voluntas positivè determinet intellectum ad credendum.

Prob. 1. ex Apostolo, dicente Rom. cap. 10. *Non omnes obediunt Evangelio.* Atqui obedientia illa, quæ caret increduli, nihil aliud esse potest, quam actus voluntatis se submittentis testimonio divino, sufficienter proposito, & determinantis intellectum ad credendum propter illud testimonium. Ergo, &c.

2. Ex S. Augustino lib. de spir. & litera cap. 33. quod ita exorditur: *Consequens est paululum querere, utrum voluntas illa, quæ credimus, etiam ipsa Dei donum sit.* Ubi nomine voluntatis, non ipsam facultatem volendi intelligit, sed actum volendi prærequisitum ad credendum.

3. Ex Conc. Arausicano can. 5. ubi definitur ipsum credulitatis affectum nobis inesse, non naturaliter, sed per gratiæ donum. Quæ definitio manifestè supponit credulitatis affectum prærequiri ad fidem divinam. At ille credulitatis affectus non est aliud, quam actus quo voluntas efficaciter applicat intellectum ad credendum.

4. Ratione. Fides divina est actus, quo intellectus assentitur alicui veritati revelatæ præcisè propter revelationem divinam. Atqui revelatio divina præcisè sumpta, est omnino obscura; nam præcisè sumpta non magis apparet esse, quam non esse. Ergo fides divina est actus, quo intellectus assentitur alicui veritati revelatæ propter revelationem divinam sub ea ratione, sub qua omnino obscura est. Atqui intellectus non potest assentiri veritati revelatæ propter revelationem divinam sub ea ratione, sub qua obscura est, sine actu voluntatis, quo positivè determinetur ad sic assentiendum. Et verò non potest intellectus assentiri veritati revelatæ, nisi ad hunc assensum determinetur vel ab objecto, vel à voluntate, quia caret facultate se ipsum determinandi. Non potest determinari ab objecto, seu à revelatione, sub ea ratione, sub qua obscura est; quia non potest determinari ab objecto, nisi per evidentiam. Superest igitur ut ad hunc assensum determinetur à voluntate, Ergo, &c.

Amplius declaratur. Quia fides divina est actus quo intellectus assentitur veritati revelatæ cum ea amplitudine & firmitate, quam meretur & exigit suprema autoritas divinæ revelationis, proindeque cum amplitudine & firmitate appretiative summa. Atqui saltem non potest intellectus cum tanta amplitudine & firmitate assentiri veritati revelatæ sine actu voluntatis, generaliter, plenè & absolute se submittentis autoritati divinæ, & captivantis intellectum in obsequium fidei: nam saltem non potest intellectus determinari ad tantam amplitudinem & firmitatem assensus ab autoritate Dei loquentis præcisè sumpta; cum locutio divina præcisè sumpta, sit obscura, nec magis appareat esse, quam non esse, aut etiam ab autoritate Dei loquentis, ut substante evidentia morali motivorum credibilitatis: cum enim hæc evidentia non sit absolute infallibilis, non potest determinare intellectum ad assentiendum cum summa firmitate divinæ locutioni, propter autoritatem divinæ locutionis veritati revelatæ. Ergo, &c.

Dices. Mysteria nostræ fidei sunt evidenter vera evidentia magna morali absolute. Ergo necessarium non est imperium voluntatis ad hoc ut intellectus assentiat revelationibus divinis, & propter illas mysteriis nostræ fidei. R. dist. conf. Necessarium non est imperium voluntatis, ut intellectus assentiat revelationibus divinis, & propter ipsam mysteriis nostræ fidei, propter evidentia magnam moralem, quam habent argumenta credibilitatis saltem collectivè sumpta, & per actum evidentem & necessarium, sed fide divina longè inferiorem in amplitudine & firmitate, C. conseq. Necessarium non est imperium voluntatis, ut intellectus assentiat revelationibus divinis, & mysteriis nostræ fidei præcisè propter ipsasmet revelationes, sibi sistendo, & per actum obscurum, & tamen cum amplitudine & firmitate appretiative summa adhæsitum, qui solus actus est fides divina, N. conseq.

R. 1.

RESPONSIO II.

Voluntatis imperium ad fidem divinam prærequiritur, supponit iudicium practicè practicum de credibilitate veritatis reuelatæ propter reuelationem divinam.

Prob. Voluntatis imperium ad fidem divinam prærequiritur, supponit sufficientem propositionem motivam, propter quod elicitur; nam voluntas non fertur in incognitum. Atqui motivum, propter quod elicitur imperium voluntatis ad fidem divinam prærequiritur, est obligatio vel saltem honestas credendi veritatem reuelatam cum firmitate summa præcisè propter reuelationem. Ergo imperium voluntatis, ad fidem divinam prærequiritur, supponit sufficientem propositionem honestatis vel obligationis credendi veritatem reuelatam cum firmitate summa præcisè propter reuelationem divinam. Atqui actus, quo intellectus voluntati proponit talem honestatem vel obligationem, dicitur iudicium practicè practicum de credibilitate veritatis reuelatæ propter reuelationem divinam, quia ordinatur proximè ad praxim & ad exercitium fidei divinæ. Ergo, &c.

RESPONSIO III.

Judicium practicè practicum, piæ credulitati prærequiritur, supponit iudicium speculativum de existentia, aut saltem prudenti credibilitate reuelationis.

Prob. Nam iudicium speculativum de existentia aut saltem prudenti credibilitate reuelationis, est actus, quo intellectus evidenter iudicat evidentiam morali reuelationem existere, aut saltem non posse nisi imprudenter negari existere, sed è contra posse firmissimè credi existere. Atqui talis actus necessariò præsupponitur iudicio practicè practico, ad piam credulitatem prærequiritur; nam hoc iudicium essentialiter debet esse prudens; cum impossibile sit piam credulitatem concipi ex iudicio practicè practico imprudenti: non esset autem prudens, sed imprudens, nisi præter alius actus, quo intellectus evidenter evidentiam morali cognosceret reuelationem existere, aut saltem non nisi imprudenter posse negari existere, & è contra posse firmissimè credi existere, Ergo, &c.

Hoc autem iudicium speculativum etiam quandoque supponit aliquem actum voluntatis liberum, & examen motivorum credibilitatis, quandoque verò non supponit: nam cum reuelatio proponitur ad credendum, vel intellectus ita illustratur circa argumenta credibilitatis proposita, ut cum auxilio Spiritus sancti illum corroborantis & elevantis, statim condignè æstimet argumenta illa, illorumque moralem evidentiam attingat, quantum oportet ut evidenter iudicet existentiam reuelationis, aut saltem prudentem credibilitatem, & tunc iudicium speculativum de existentia vel prudenti credibilitate reuelationis non supponit ullum actum voluntatis positivum, ullumque examen argumentorum credibilitatis: vel intellectus non ita adjuvatur, ut statim argumenta credibilitatis condignè æstimet, illorumque evidentiam attingat quantum oportet, ut evidenter iudicetur existentia reuelationis, aut saltem prudens credibilitas ejus existentia, & tunc requiritur aliquis actus voluntatis liber, quo voluntas positivè applicet intellectum ad diligens & prudens examen argumentorum credibilitatis, quo cum adiutorio Spiritus sancti facto, argumentorum illorum evidentia sufficienter apparet ad iudicium speculativum evidens de existentia reuelationis, vel saltem de ejus prudenti credibilitate.

Ex dictis facillè explicatur œconomia fidei divinæ. 1. Itaque, apprehenditur veritas reuelata cum reuelatione & argumentis credibilitatis. 2. Voluntas imperat examen argumentorum credibilitatis. 3. Argumenta credibilitatis ponderantur & examinantur. 4. Intellectus evidenter evidentiam morali iudicat reuelationem existere, vel saltem posse firmissimè credi existere. 5. Evidenter iudicat credendum esse, vel saltem honestum esse credere. 6. Voluntas propter obligationem vel honestatem credendi imperat intel-

lectui, ut credat. 7. Denique sequitur actus, quo intellectus credit, hoc est, cum firmitate appetitivè summa assentitur veritati reuelatæ præcisè propter veracitatem & reuelationem divinam, siue propter veracitatem & reuelationem divinam, creditas propter ipsam reuelationem, ut reflexam virtualiter in se, & veracitatem; quod est fide divina credere.

ARTICULUS IV.

Utrum actus fidei divinæ sit liber & honestus speciali honestate.

RESPONSIO. I.

Actus fidei divinæ est positivè voluntarius & liber. *Prob.* 1. ex Scriptura. Nam Marci cap. ult. dicitur: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Quibus verbis manifestè innuitur, in libera hominum potestate positum esse, ut positis omnibus ad fidem divinam præquisitis, credant, vel non credant fide divinæ.

2. Ratione. Nam, ut supra probatum est, fides divina supponit liberum voluntatis imperium, quo intellectus determinatur ad assentiendum super omnia rebus à Deo reuelatis præcisè propter auctoritatem Dei reuelantis. Ergo fides divina positivè libera est, non intrinsecè & immediatè, quia non est à potentia se ipsam determinante, sed mediatè & intrinsecè, quia elicitur ex libero imperio voluntatis liberè determinantis & applicantis intellectum ad actum, quo assentitur super omnia rebus à Deo reuelatis præcisè propter auctoritatem Dei reuelantis.

Dixi autem, positivè, quia fides divina non est merè negativè libera, quales sunt omnes illi actus, qui ab intellectu eliciuntur, voluntate præcisè non impediente, nec avertente intellectum à consideratione motivorum, quorum evidentia necessitatur ad actus illos.

Dices. Si intellectus non à se ipso, sed à voluntate determinatur ad actum fidei divinæ, actus fidei divinæ non est liber, sed necessarius. R. non esse liberum respectu intellectus, à quo elicitur, sed esse respectu voluntatis, à qua imperatur. Unde sequitur tantum, quod verum est, actum fidei divinæ non esse intrinsecè liberum, sed extrinsecè tantum.

RESPONSIO II.

Actus fidei divinæ habet specialem honestatem objectivam intrinsecam.

Prob. Illud habet specialem honestatem objectivam intrinsecam, quod est per se laudabile, per se expetibile, per se honorificum Deo, per se consentaneum rectæ rationi. Atqui talis est fides divina. Homo enim per fidem divinam adherendo cum firmitate appetitivè summa veritati reuelatæ præcisè propter veracitatem & reuelationem divinam, generalissimè, plenissimè & absolutissimè se submittit auctoritati divinæ. At sic se auctoritati divinæ submittere, est aliquid per se expetibile, per se laudabile, per se rectæ rationi maximè conueniens, & Deo honorificum.

RESPONSIO III.

Actus fidei divinæ habet etiam specialem honestatem formalem, non intrinsecam, sed extrinsecam.

Prob. Nam actus imperatus habet specialem honestatem formalem extrinsecam, quando actus imperans habet specialem honestatem formalem intrinsecam: sicut enim actus imperatus extrinsecè denominatur liber actu imperante intrinsecè libero, ita denominatur extrinsecè honestus honestate formali ab actu imperante intrinsecè honesto formaliter. Atqui actus, à quo imperatur fides divina, habet specialem honestatem formalem intrinsecam: nam liberè tendit secundum rectam rationem in objectum specialiter honestum. 1. Tendit in objectum honestum specialiter: tendit enim in fidem divinam, quam impe-

imperat, & quæ habet specialem honestatem objectivam. 2. Tendit liberè: est enim liber, & liberè imperat fidem divinam. 3. Tendit secundum rectam rationem: quia tendit ex affectu obediendi Deo, & supremæ ejus auctoritati sese submittendi generaliter, plenè & absolute. Ergo, &c. Ex dictis patet, ex fide divinæ, & actu voluntatis illam imperante, resultare unicum moraliter & totalem actum, formaliter liberum, honestum, & meritorium. Hoc sensu Patres & Concilia dicunt fidem divinam esse initium meriti & salutis.

ARTICULUS V.

Utrum actus fidei divinæ, & alii actus ad illum prærequisiti, sint supernaturales.

RESPONSIO I.

Actus fidei divinæ supernaturalis est. *Prob.* Nam actus ille supernaturalis est, qui superat vires naturæ, nec produci potest sine adjutorio speciali, & planè indebito. Atqui actus fidei divinæ talis est. Ergo, &c. *Prob. min.* 1. Ex Scriptura. Nam dicitur Ephes. c. 2. *Gratia salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Et Philip. c. 1. *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, &c.* 2. Ex S. Augustino, toto ferè libro de præd. Sancti. 3. Ex Conc. Trid. sess. 6. can. 3. ubi ait: *Si quis dixerit hominem credere posse, sicut oportet... anathema sit.*

RESPONSIO II.

Imperium voluntatis, ad actum fidei divinæ prærequisitum, supernaturale est.

Prob. Nam tale imperium non potest produci sine adjutorio gratiæ. Ergo, &c. *Prob. ant.* 1. Ex Apostolo ad Philip. c. 2. *Deus est, inquit, qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* 2. Ex S. Augustino lib. de Spiritu & lit. c. 33. *Nec istam voluntatem, inquit, qua credit Deo, dici potest homo habere, quam non acceperit (per gratiam) quando quidem vocante Deo surgit de libero arbitrio, quod naturaliter, cum crearetur, acceperit.* 3. Ex Conc. Araulicano can. 5. ubi definitur, *ipsum credulitatis affectum per gratia donum, id est, per inspirationem Spiritus sancti corrigenstem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, nobis inesse.*

Dices. Posita & cognita sufficienti credibilitate testimonii humani, possumus naturaliter velle credere propter testimonium humanum. Ergo pariter posita & cognita sufficienti credibilitate testimonii divini, naturaliter possumus velle credere propter testimonium divinum. R. neg. conf. Quæ non magis valet, quam ista: Cognita amabilitate objecti creati, possumus naturaliter amare illud objectum propter ejus bonitatem cognitam. Ergo pariter cognita amabilitate Dei, possumus naturaliter amare Deum propter ejus bonitatem cognitam.

Itaque possumus naturaliter velle credere propter testimonium humanum præcognitum, sicut naturaliter possumus velle amare objectum creatum propter ejus amabilitatem præcognitam, quia nulla in ejusmodi actibus exercendis difficultas occurrit, quæ non possit solis naturæ viribus vinci. At non possumus naturaliter velle credere propter testimonium divinum, etiam sufficienter præcognitum, sicut nec possumus naturaliter velle amare Deum propter ejus bonitatem, etiam sufficienter præcognitam, quia in præsentis statu naturæ lapsæ tanta est voluntatis humanæ infirmitas, tantus torpor & languor, ut sine gratia excitante, lanante & corroborante, non possit ita affici obligatione vel honestate credendi propter testimonium divinum, quantumvis credibiliter propositum, ut ex tali obligatione vel honestate velit credere propter testimonium divinum; sicut nec absque hujusmodi gratia ita potest affici ad bonitatem divinam, quamvis sufficientissimè cognitam, ut propter illam velit ama-

re Deum; quod utrumque ex Scripturis, Patribus & Conciliis satis superque constat.

RESPONSIO III.

Judicium practicè practicum, ad pium credendi affectum prærequisitum, est supernaturale.

Prob. Omnis cogitatio salutaris excedit vires naturæ, & nulla produci potest sine adjutorio gratiæ. Atqui judicium practicè practicum, quod prærequisitum ad pium credendi affectum, est cogitatio salutaris. Ergo, &c. Minor est extra controversiam; nam hoc judicium conducit ad salutem; cum sit actus, quo cogitur sicut oportet ad credendum fide divinæ. *Prob. ergo major ex Scriptura.* Nam Apostolus 2. Cor. cap. 3. ita loquitur: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Ex quibus verbis sic contra Massilienses argumentatur S. Augustinus lib. de præd. Sanctorum c. 2. *Nemo sibi sufficit vel ad incipiendam vel ad perficiendam fidem, sed sufficientia nostra ex Deo est; quoniam fides, si non cogitur, nulla est, & non sumus idonei cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis metipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Ergo ex S. Doctore, cogitatio, quæ præcedit fidem divinam, & ipsam voluntatem credendi, hoc est, judicium de credibilitate, non potest esse ex solis viribus naturæ, sed ad illud, adjutorium interioris gratiæ intellectum illuminantis prærequisitur.

RESPONSIO IV.

Supernaturale etiam est judicium speculativum de existentia revelationis, vel ejus credibilitate, evidens evidentiæ morali absoluta, & sufficiente respectu omnium ad credendum cum certitudine apprehensivè summa.

Prob. Nam tale judicium est actus, quo condignè & sicut oportet æstimantur argumenta credibilitatis. Atqui argumenta credibilitatis non possunt condignè & sicut oportet æstimari sine adjutorio gratiæ interioris intellectum illuminantis: nam supernaturalia sunt, & consequenter naturalem intelligentiam superant. Ergo judicium speculativum, &c. haberi non potest sine interiore gratia intellectum illuminante, proindeque naturales intellectus humani vires excedit.

Porrò dixi, judicium speculativum de existentia revelationis, vel ejus credibilitate, evidens evidentiæ morali absoluta, &c. Nam judicium speculativum de credibilitate revelationis, & rei revelatæ propter revelationem, evidens evidentiæ morali respectiva, & solum sufficiente pro aliquibus, putà pro rusticis, vel pueris, cum fundetur v. g. in sola auctoritate parochi vel parentis, sine fundamento diceretur esse supernaturale; gratis enim requireretur adjutorium gratiæ ad percipiendam evidentiæ respectivam, quæ ex ejusmodi auctoritate oritur; cum per se sit satis proportionata intellectui.

Itaque hoc judicium in rusticis & parvulis non magis est supernaturale, quam in aliis prima apprehensio motivorum credibilitatis, quæ tam naturalis est, quam prima perceptio cujuscunque alterius objecti naturalis. Unde in rusticis & parvulis, & aliis ejusmodi, prima cognitio supernaturalis est judicium practicè practicum de obligatione vel honestate credendi præcisè propter testimonium divinum.

Quando igitur rusticus credit fide divinæ, 1. naturaliter apprehendit cum mysterio fidei proposito auctoritatem parochi proponentis. 2. Etiam naturaliter propter auctoritatem parochi proponentis, mysterium, ut revelatum à Deo, judicat evidenter evidentiæ morali respectiva credi posse prudenter mysterium ut revelatum à Deo, nec nisi imprudenter discredere posse. 3. Cum auxilio gratiæ illuminantis, confortantis & determinantis intellectum ejus, judicat obligationem & honestatem sese generaliter, plenè & absolute submittendi auctoritati divinæ, adherendo super omnia mysterio proposito, præcisè propter testimonium divinum. 4. Cum auxilio gratiæ voluntatem excitantis & corroborantis, vult sese generaliter,

ter, plenè & absolute submittere divinæ auctoritati, & adherere super omnia mysterio proposito, præcisè propter summam infallibilitatem testimonii divini. 5. Denique, elicit actum fidei, quo intellectus ejus, auxilio gratiæ concomitantis, & habitum fidei, quando deest, suppletis, adjutus, adheret assensu super omnia certo veritati revelatæ, propter veracitatem & revelationem divinam, ibi sistendo.

Ex his facile apparet, quid contingeret in rustico, cui parochus rem aliquam, ut à Deo revelatam falsò proponeret: tunc enim rusticus haberet quidem, vel habere posset iudicium speculativum de credibilitate rei, tanquam revelatæ, evidens evidentia morali respectiva, fundatum in auctoritate parochi, de cuius malitia vel inscitia, ut supponitur, ne levem quidem haberet suspicionem. At nec haberet, nec habere posset iudicium practicè practicum de obligatione vel honestate credendi præcisè propter summam infallibilitatem testimonii divini; sicque nec haberet, nec habere posset piam voluntatem rem à parocho propositam credendi præcisè propter summam infallibilitatem testimonii divini. Unde tunc rem à parocho propositam non crederet, nec credere posset præcisè propter testimonium divinum existimatum, sed vel omnino non crederet, vel solum crederet propter auctoritatem parochi; proindeque tunc ad summam fidem humanam haberet.

Dices. Ad iudicium practicè practicum de obligatione vel honestate credendi hic & nunc veritatem aliquam præcisè propter testimonium divinum, & à fortiori ad iudicium speculativum de existentia vel credibilitate testimonii divini, evidens etiam evidentia morali absoluta, sufficit lumen naturale intellectus cum propositione motivorum credibilitatis. Ergo, &c. *R. neg. ant. Probabis.* Ad utrumque iudicium sufficit ut evidentia credibilitatis condignè & sicut oportet attingatur. Atqui hæc evidentia solo lumine naturali potest condignè & sicut oportet attingi, cum sit naturalis. Ergo, &c.

R. 1. neg. Quòd evidentia credibilitatis sit naturalis, & possit attingi solo lumine naturali: cum enim oriatur ex motivis credibilitatis, quæ sunt opera miraculosa & supernaturalia, supernaturalis est, & consequenter improporcionata intellectui sibi relicto, ac proinde non potest ab intellectu condignè attingi sine auxilio ipsum illustrante & elevante.

R. 2. Evidentiam credibilitatis sicut oportet perceptam sufficere cum concursu supernaturali, ad iudicium speculativum de existentia vel saltem credibilitate testimonii divini, sed non sufficere ad iudicium practicè practicum de obligatione vel honestate credendi hic & nunc super omnia præcisè propter testimonium divinum; & præter illam requiri novum auxilium illustrans intellectum circa obligationem & honestatem credendi hic & nunc super omnia præcisè propter veracitatem & revelationem divinam, ipsumque determinans ad iudicandam obligationem & honestatem illam.

Dices. Si iudicia illa supernaturalia sunt, per illa formaliter ad statum supernaturalem evehimur, & inchoamus supernaturalem vitam. Sed hoc est contra communem sensum Patrum & Doctorum, qui initium vitæ supernaturalis constituunt in fide. Ergo, &c. *R. Patres & Doctores,* cum initium vitæ supernaturalis constituunt in fide, intelligere fidem, non solitarie sumptam, sed sumptam cum pio credendi affectu, & iudiciis supernaturalibus, quæ hunc affectum præcedunt; nam ex his omnibus actibus & ipso actu fidei resultat unum quoddam morale, quod est fundamentum & initium vitæ supernaturalis.

Dices. Ratio præcipua cur actus fidei divinæ sit supernaturalis, est, quia ordinatur ad meritum præmii supernaturalis, tanquam medium ad finem. At iudicia, de quibus agitur, non sic ordinantur ad meritum præmii supernaturalis: cum enim sint actus necessarii, non possunt esse meritoria. Ergo, &c. *R. neg. maj.* Nam actus fidei divinæ supernaturalis est, quia versatur circa objectum suum modo quodam excellenti,

ad quem pertingere non potest natura cum solis virtutibus naturalibus. Propter eandem rationem iudicia illa de quibus agitur, supernaturalia sunt: habent enim excellentem quemdam modum tendendi in objectum, cui impar est intellectus, nisi per auxilium indebitum illustretur, elevetur, & determinetur. Addo iudicia illa ordinari ad meritum præmii supernaturalis, non quidem immediate & proximè, sed mediatè & remotè, quatenus per se ordinantur ad pium affectum credendi sicut oportet, & ad ipsum actum credendi, atque opera meritoria subsequutura.

Dices. Si iudicia illa, de quibus agitur, supernaturalia sunt, sequitur esse aliquos actus supernaturales in hæreticis & infidelibus culpabiliter, quibus scilicet mysteria fidei proponuntur sufficienter ad credendum, & tamen non credunt. At hoc hoc est incredibile. Ergo, &c. *R. neg. min.* Non enim est incredibile, quòd hæretici & infideles culpabiliter, quibus sufficienter proponuntur mysteria nostræ fidei, ex speciali & misericorditer concessa ope Spiritus sancti, etiam invitati, convincantur per motiva credibilitatis, eaque condignè assintant, atque iudicent obligationem credendi hic & nunc super omnia propter summam infallibilitatem testimonii divini. Imò hoc planè consentaneum est summæ bonitati ac misericordiæ divinæ.

Hic tamen obiter observare juvat, ad hoc ut aliquis sit infidelis culpabiliter, non requiri, ut habeat iudicia illa supernaturalia, de quibus loquimur, sed satis esse, si motiva credibilitatis sibi proposita rejiciat, aut nolit ea expendere, vel non inquirat cum tenetur inquirere. Hinc rectè ab Innocentio XI. damnata est hæc propositio: *Ab infidelitate excusabitur infidelis, non credens, ductus opinione minus probabilis.* Sed contra id, quod supra notatum est, iudicium de credibilitate revelationis, evidens evidentia tantum imperfecta & relativa, non esse supernaturale.

Dices ult. Hoc iudicium, quamvis evidens evidentia tantum imperfecta & relativa, est cogitatio salutaris. Atqui, ut supra probatum est, omnis cogitatio salutaris superat vires naturæ, & nulla esse potest sine auxilio gratiæ. Ergo, &c. *R. hoc iudicium non magis esse cogitationem salutarem, quam cogitatio salutaris est prima apprehensio revelationis propositæ, vel motivorum credibilitatis, & est omnino indifferens ad veritatem vel falsitatem, non solum ratione motivi, sed etiam ratione principii effectivi; tam enim potest esse de revelatione existimata, quam de vera. Neque per illud cogitatur sicut oportet ad credendum, sed solum per iudicium subsequens practicè practicum, quo intellectus illustratur, elevatur & determinatur ab interiore gratia, iudicat obligationem vel honestatem credendi firmissimè propter testimonium Dei. Quod iudicium omnino infallibile est, non quidem ratione evidentiae credibilitatis, in qua fundatur, sed ratione principii affectivi, quatenus Spiritus sanctus non potest esse causa specialis actus falsi.*

ARTICULUS VI.

Quomodo resolvatur actus fidei divinæ, & an Catholicæ in reddenda ratione suæ fidei, vitiosam circulationem admittant.

Resolvere actum fidei est illum reducere in sua principia, hoc est, in ea, quæ ad illum producendum aliquo modo concurrunt. Unde cum varia variè concurrant ad productionem actus fidei, potest actus fidei variè resolveri.

1. Itaque resolveri potest in motiva credibilitatis, tanquam in dispositiones, id est, tanquam in ea quibus intellectus ad credendum disponitur; vel, si vis, tanquam in conditionem sine qua intellectus non crederet. Sic resolvo fidem meam, dum quaerenti v. gr. quare credam veram esse religionem Christianam, respondeo me credere, quia per multa & magna argumenta, evidenter credibile, vel etiam evidens est evidentia magna morali, religionem christianam esse veram religionem.

2. Resolveri potest in obligationem & honestatem cre-

dendi, tanquam in motiva, quibus inducimur ad volendum credere. Sic resolvo fidem meam, dum quaerenti v. g. quare credam omnia à Deo revelata, respondeo, quia teneor, & honestum est in omnibus se submittere auctoritati Dei loquentis.

3. Resolvi potest in Deum, tanquam principium effectivum. Sic resolvo fidem meam, dum quaerenti v. g. quare credam tot mysteria, ad credendum tam difficilia, respondeo, quia Deus me gratia sua adjuvat ad credendum.

4. Resolvi potest in voluntatem, tanquam in causam applicantem & determinantem intellectum. Sic resolvo fidem meam, dum quaerenti v. g. quare credam mysterium Trinitatis, quod videtur pugnare cum principiis lumine naturali notis, respondeo me credere, quia summæ auctoritati divinæ supremum cultum exhibere volo, captivando intellectum in assensum rerum cum ratione apparenter pugnantium.

5. Resolvi potest tanquam in causam dirigentem, in Ecclesiam habentem auctoritatem, fundatam in argumentis, quibus ejus doctrina redditur evidenter credibilis, aut etiam evidenter vera evidentiā magna morali. Sic resolvo fidem meam, dum quaerenti v. g. quare credam Scripturam hanc esse verbum Dei, respondeo me credere, quia hanc Scripturam esse verbum Dei tenet & semper tenuit universa collectio fidelium, sive, quod idem est, quia quod Scriptura hæc sit verbum Dei, est unum è præcipuis articulis doctrinæ Christianæ.

6. Resolvi potest, tanquam in causam proponentem, in Ecclesiam habentem auctoritatem fundatam in speciali Spiritus sancti assistentia, in scripturis promissa. Sic resolvo fidem meam, dum quaerenti v. g. quare credam esse in Christo duas voluntates, divinam & humanam, respondeo, quia hoc ab Ecclesia in Concilio generali definitum est.

7. Potest resolvi in veracitatem & revelationem divinam, tanquam in motivum formale intrinsecum. Sic resolvo fidem meam, dum quaerenti v. g. quare credam mysterium incarnationis, respondeo me credere, quia prima veritas revelavit verbum esse incarnatum, &c.

Vitiosum circulum admittit, qui hoc per illud, & illud per hoc sive mediātē sive immediatē probat in eodem progressu, & apud eundem, qui æquē utrumque negat, vel æquē de utroque dubitat. Sic vitiosæ circulationis reus esset, qui pagano æqualiter neganti Scripturam & Ecclesiam, probaret Scripturam per Ecclesiam, & Ecclesiam per Scripturam, ibi sistendo.

Non admittit vitiosum circulum, qui probat hoc per illud, & illud per hoc in diverso progressu, & in ordine ad diversum intellectum, quando scilicet hoc ignotius est uni, & notius alteri: nam v. g. sine circulo vitioso probo causam per effectum illi cui effectus notior est quam causa; & vicissim probo effectum per causam alteri, cui causa notior est, quam effectus. Hinc sine vitiosa circulatione probamus Judæis novum testamentum ex veteri quod admittunt, & vicissim testamentum veteris Manichæis, ex novo, quod agnoscunt. Item sine vitiosa circulatione probamus Ecclesiæ infallibilitatem ex Scriptura contra hereticos, qui Scripturam agnoscunt; & vicissim Scripturam ex infallibilitate Ecclesiæ, contra alios, qui admittunt hanc infallibilitatem.

Omni suspitione vitiosæ circulationis caret progressus ille, quo sistitur in aliquo, quod est ultimum simpliciter in illo progressu, & quod est per se notum. Unde Catholicus in reddenda ratione suæ fidei non admittit vitiosum circulum, quia sistit in aliquo, quod est ultimum simpliciter in progressu quem facit, & per se notum. Res declaratur exemplo. Quæris à Catholico, quare credit realem Christi præsentiam in Eucharistia? Respondet, quia hæc Christi verba, *Hoc est corpus meum*, significant realem ejus in Eucharistia præsentiam. Quæris, quare credat hunc esse sensum verborum Christi? Respondet, quia ita definitum est ab Ecclesia, quæ in definitionibus fidei infallibilis est. Quæris quare credat Ecclesiam esse infallibilem in de-

initionibus fidei? Respondet, quia hoc manifestè docet Scriptura, quæ est verbum Dei, puta hæc: *Porte inferi non prævalerunt adversus eam*; Quibus verbis manifestè promittitur specialis Spiritus sancti assistentia in rebus fidei rectè definiendis. Quæris unde habeat, quod hæc Scriptura sit verbum Dei? Respondet, ex eo quod, hanc Scripturam esse verbum Dei, sit unus è præcipuis articulis doctrinæ Christianæ; quam veram & divinam esse, evidenter credibile, imò simpliciter evidens est evidentiā magna morali, propter argumenta quibus nititur ejus veritas & divinitas; ibique sistit, in illis scilicet argumentis, quæ per se & non per aliquid sibi superadditum ex parte objecti, hanc evidentiā mentibus ingerunt.

Dices. At hoc est, probare infallibilitatem Ecclesiæ per ipsam infallibilitatem Ecclesiæ, & consequenter probare idem per idem, quod est nugari, & in circuitu ambulare. R. Hoc est, probare infallibilitatem Ecclesiæ, in dirimendis fidei controversiis, ut expressam distinguere in verbo Dei, per eandem infallibilitatem Ecclesiæ, in discernendis veris Scripturis à falsis, ut evidenter credibile, imò evidentem simpliciter evidentiā magna morali, propter notas & characteres, quibus distinguitur christianismus, & apparet divinus, atque à Deo institutus. Quod non est, probare idem per idem: hoc enim est, infallibilitatem Ecclesiæ in dirimendis controversiis fidei, ut expressam in verbo Dei, probare mediate per argumenta credibilitatis, quibus nititur doctrina Christiana, & quæ sunt veluti primum & universalissimum principium credendi omnia, quæ fide divina creduntur.

Iniquè igitur vitiosam circulationem nobis objiciunt hæretici; præsertim cum ipsimet in illa hæreant: nam si quæras ab eis, unde habeant hanc Scripturam esse divinam, respondent se habere ex interno & privato spiritus, qui est Spiritus sancti testimonium. Quod si quæras ulterius, unde habeant, quod spiritus ille privatus sit testimonium Spiritus sancti; cum hoc nec sit evidens per se, nec specialiter ipsis revelatum? respondent se habere ex Scriptura, hac verb. gr. *Oves meæ vocem meam audiunt*; vel quia Spiritus ille privatus conformis est Scripturæ. Unde divinitatem Scripturæ probant per spiritum privatum, & spiritus privati sinceritatem probant per Scripturam, sicque divinitatem Scripturæ probant per ipsam Scripturam præcisè; quod evidenter est in circuitu ambulare: nec aliter evadere possunt, cum dicant nihil esse credendum, nisi quod continetur in Scriptura, juxta internum & privatum eorum spiritum intellecta, pertinaciterque rejiciant infallibilem in discernendis veris Scripturis, earumque germano sensu explicando, auctoritatem Ecclesiæ, quantumvis credibilem, imò evidentem simpliciter evidentiā magna morali, per motiva quibus suaderetur veritas & divinitas christianismi.

DISPUTATIO IV.

De necessitate fidei divinæ, & ejus externæ professionis.

Nota 1. Duplex est necessitas respectu salutis, nempe necessitas medii, & necessitas præcepti. Necessarium ad salutem necessitate medii, est illud, sine quo non potest obtineri salus secundum legem Dei ordinariam. Talis est v. g. baptismus respectu infantium, qui non occiduntur in odium Christi, vel religionis Christianæ. Tale etiam est Sacramentum Pœnitentiæ, vel in re, vel in voto susceptum, respectu adultorum, qui post susceptum baptismum mortaliter lapsi sunt. Necessarium ad salutem necessitate præcepti, est illud, sine quo salus obtineri non potest, quia cadit sub præcepto: unde cessante præcepti obligatione, non est amplius ad salutem necessarium, & sine jactura salutis omitti potest.

Nota 2. Necessarium necessitate medii differt dupliciter à necessario necessitate præcepti. Nam 1. necessarium necessitate medii non potest omitti sine jactura salutis, etiam si inculpabiliter omittatur, ut patet in par-